Genealogia Frithiofiana,

quam

Consentiente Amplissimo Philos. Ord. Lundensi,

PRÆSIDE

L. G. PALMQVIST,

Histor. Adj. Ord. et Mus. Hist. Supræfect,

p. p.

OSCAR JONAS ALIN,

Smolandus.

In Academia Carolina die XX Dec. MDCCCXXXI.

P. II.

LONDINI GOTHORUM MDCCCXXXI.
Typis BERLINGIANIS.

De Huldaste Föräldrar

helgadt

af

sonlig vördnad, kärlek och
tacksamhet.

nus vero, XIX hostibus occisis, ab extrema montis crepidine præceps devolvitur. Jokul, qui Thorsteinum jam mortuum pro certo existimavit, hac victoria lætissimus domum rediit. Fortuna tamen eum vitæ reservavit. In locum enim mollem delapsus & herbidum, ab antiqua illa femina, quæ, cum proxime in extremo fuisset, opem tulerat, morte, ut videbatur, certa liberatur. Promissum, quod sibi tunc fecerat, femina repetens, quærit, an se, si iterum salvus fuerit, uxorem ducere velit. Cum in eo esset, ut de vita desperaret, nihil, inquit, impedit, quominus pro-

riis, lingua conscriptis antiqua, referuntur. Primi generis fuere clava, hasta, gladius, arcus & securis. Clava, quæ armorum forsitan antiquissima est, hac in historia Cap. XXII. his verbis commemoratur: er þad var giort, kom Brennr kall af bæ ofan og hafde kylfu stora i handi, alla slagna af iarne med storum iarngoddum: han var so þungr ad medal madr gat vatla liett af iordu. Hasta & in pace & in bello usurpata videtur. Hujus generis multæ species occurrunt, ut Geir l. Arngeir, hasta bifurcata, firmo manubrio adfixa & ictibus apta, a qua Kesia, (Hist. Olafi Cap. CXCVIII. i annari hendi hafdi hann kesio), telo major, differebat. De magnitudine kesiarum ex his Haraldi severi judicari licet: þeir er fremstir standa skolo seta spiot hala sina i iord nidr, enn setta oddana fyri briost riddorunum, ef þeir rida at. Hastæ haud dissimilis fuisse videtur Flein, quæ sæpe etiam Kesia adpellatur, quæque telum quoddam missile a Snorrone fuisse dicitur. Gladiorum duo genera, sverd etiam mækir dictum & sax, commemorantur. Sverd major erat gladius, sax brevior & latior. Sax l. saxknif & rytingr dictus est. Armorum, quæ summa a veteribus diligentia conservabantur, gladius s. ensis habebatur pretiosissimus, nemini nisi dignissimo umquam traditus. Hæc multis historiarum testimoniis firmantur. Sic de Angurvadile dicitur: þad var Sverd suo godur gripur, ad ecki var bettra borid þan tiima . . . hann beit iarn sem klædi: hlyfdar sem hold. Gladius sæpe quinque pedes longus & duas palmas latus refertur, manubrio ita producto, ut ambabus manibus comprehendi posset. Pretiosissimi, quibus singularia imposita sunt nomina, ut Tirfing, Qvarnbidr, Skofnung, &c. a pygmæis fabricati, multisque miris virtutibus præditi dicebantur. Ab humeris pendentes lati sunt. Arcus duo genera, stælbuge & armbost, fuerunt, quorum ille e ferro fuit tantæque

misso, si potuero, sim staturus. In antrum igitur deductus, cura & opera ejus intra septem dies convaluit, angurvadile, quem amiserat, etiam recepto. Jam demum cognovisse fertur, feminam illam quæ eum a morte bis liberaverat, esse Ingeborgem, venustissimam Belii regis sororem. Neque hoc unicum beneficium; ut enim periculum, in quo versaretur, quodque frater, auctore Jokule, insidias semper instruente, molitus est, caveret, eum præmonuit, docens, quomodo id effugeret. Neque multo post ad pugnam ventum est, quæ ita finiebatur, ut Belius, non minus fortitudine quam generositate Thorsteini victus, amicitiæ fœderibus initis, illi dignitate Satrapæ & juribus donato, sororem in matrimoni-

---

firmitatis, ut sine instrumento tendi non posset; hic levis & e ligno l. cornu confectus fuit. Jaculandi peritissimus laudatur Eynarus Tambaskelfr. Secures & fundæ etiam ad veterum arma referuntur. Ad alterum genus referuntur arma, ad corpus tegendum usurpata. Hujus generis sunt, lorica, toga, cassis, galea & clypeus. Loricæ tria genera numerantur, lorica annulata (hrinbrynia), quæ ex annulis; platbrynia, quæ ex integris laminis & spongbrynia, quæ e filo ferreo confecta erat. Super lorica gestarunt togam, hiupa & skickia dictam. Togas sæpius fuisse longas, exinde colligi licet, quod gladii, ne ab hostibus proderentur, sub iis occultari potuerunt. Cassis s. galea, quæ ferrea & aliquando aurea fuit, caput tegebat. Usum clypei veterum eundem fuisse, atque aliarum gentium, inter omnes fere constat. De cetero arma eorum auro fuisse cælata auroque inducta, in historiis sæpius legi licet. Cfr. Bartholinus, antq. Dan. Lib. 2, Cap. 7, Schöning 2 D. p. 591. Reenhielm. in nott. ad Thorsten Vikingsons Saga p. 74. Quanti pretii bonus gladius existimaretur, historia Hervoriana docet. Hervora sc. gladium patris Tirfingum acceptum totius Norvegiæ possessioni præferebat. Virtutes ejus in exemplari regio memorantur: "fuisse acutissimum; quoties educeretur, solis instar coruscantem radios vibrasse; nudari sine homicidio nequivisse; calido sanguine tinctum vagina condi oportuisse; nihil vivum, ab ipso sauciatum, in sequentem diem traducere potuisse, vulnere quantumvis levi; nihil tam durum, quod non penetrasset, cujus ictus, nisi in terram demersus sisti nequivisse; gerenti utentique semper victoriam reportasse": Torfæus P. 1. p. 420, 426. Juvenis, qui ad annum XVIII pervenerat, certa habere arma jubetur. Cfr. Legg. Helsing. Tingmb. 14 Fl.

um collocaret. Sollennia nuptiarum in Sognia celebrantur. Syrstrandam, in altero sinus Sogniensis latere sitam, Belius rex; Framnæsiam, 33) prædium dotale, in altero cum dilectissima sua conjuge Thorsteinus habitavit. Per æstates plurium annorum vitam prædatoriam mari vixerunt.

§. VII.

De certaminibus cum Slisa-Uffio & Angantyre.

Accidit aliquando, ut cum socii ad scopulos Gautelfæ vespere appellentes, in continentem speculaturi progrederentur, classem, quam gubernavit pirata quidam, nomine Slisa-Uffius, duce Herbrando natus, quæque ultra promontorium in ancoris tenebatur, deprehenderent. Clamore hostili, mane ingruente, sublato, ardens & incerta bidui initur pugna, quæ postridie demum, Thorsteino Uffium uno ictu in duas diffindente partes, feliciter confecta est. In spoliis, quæ opima fuerunt, dividendis, navis prætoria, draco (figura aurata draconis insignita) appellata, utpote prædæ pretiosissima, Ellida excepta, quam Otulfaxe, frater Uffii, gubernavit, in toto Borea nulla præstantior, Belio sorte obvenit. His peractis, proprios lares repetunt.

Sequente tempore verno orientem versus, fortunam iterum experturi, classe XV navium proficiscuntur. Maxima rerum gestarum gloria comparata & existimatione, piratæ cuidam, nomine Angantyri, Herraudo Gothiæ duce nato, duodecimque navibus instructo, forte occurrunt. Qui licet armorum annorumque numero (etenim annos vix novendecim jam impleverat) hostibus esset inferior, tamen animum non demisit, sed duabus, pugnæ

33) Hæc prædia, quæ nomina sua adhuc retinere dicuntur, ab utraque parte Biornefiordi jacent, ad meridionale latus Syrstrand ad septentrionale Framnæs. Cfr. Reenhielm, nott. in Hist. Thorstani Vikingi filii, p. 116.

scilicet deditionisve, conditionibus propositis, illam satius sibi gloriosiusque arripere existimavit. Thorsteino verum admonente, quam exiguam sibi acquirerent gloriam, si quindecim contra duodecim instructi navibus dimicarent, tribus sepositis, prælium inierunt, quod tanto exarsit furore tantaque vehementia, ut vires periclitandi sibi nullum umquam habuisse locum ampliorem viderentur. Nox ingruens diremit pugnam, quæ luce proxima, auctore Angantyre, hunc inter et Belium in certamen, exuviis explicatis, quas egredi non licuit, privatum converteretur. Belio fesso vulneribusque saucio, opera Thorsteini factum est, ut hi omnes cum omnium consensu summaque delectatione sodalitium invicem inirent. Quo quidem, ut mos tulit, sollenni juramenti ritu effecto, domum revertentes, piratarum septentrionis principes habentur. Quæ anno sequente perpetrarunt facinora, accuratius non referuntur. Utrasque quidem maris Baltici oras depopulati, piratas & latrones, ubicumque reperti sint, interfecisse, agricolas vero & mercatores reliquisse salvos dicuntur.

§. VIII

De pugna cum Otulfaxio Orcadumque expugnatione.

Otulfaxius, cui, quæ fratri acciderant, cognita erant, promontoriis per trium annorum spatium lustratis & sinibus, classe quadraginta (Torfæus habet LX) navium ad mortem fratris vindicandam socios perquisierat. Contigit aliquando, ut, cum Belius, comitibus stipatus, in portum, inter scopulos Brenneyenses 34) situm, veniret, Thorsteinus, cum ceteris sociis in continentem progrediens, patruum Brennerem offenderet, a quo certior factus est, Otulfaxium, qui forma monstrosa & figura armis ferreis lædi non posse credebatur, ultra insulam ad ancoras con-

34) Secundum J. Volf, Norrig. illustr. p. 151, hæc insula inter illas, quæ Norrigiam, Sveoniam & Hallandiam interjacent, quærenda.

sistere. Thorsteino in his rerum angustiis, quid sibi esset faciendum, percontante, ille se plane consilii inopem confessus est, nec esse quemquam, qui hac in re utiliora svaderet, quam pygmæus ille Sindrius, qui in insula juxta sita, Brenneya minor dicta, in saxo quodam sedem fixerat 35) Ab hoc eodem Sindrio, quem ut conveniret, liberis munera largitus est, cultellum (qualis e balteo pendere solebat, tigilknifr) accepit Thorsteinus, veniamque, si molestiis quando conflictaretur, opem ejus invocandi. De cetero svadebat Sindrius, ut, oneribus sublatis, lapides navibus imponerentur, id quod noctu peractum est. Clavam, mucronibus ferreis consitam, quæ tanta erat gravitate, ut, cui mediocres erant corporis vires, eandem a terra vix attollere posset, dono illi dedit Brenner, et hoc insuper consilium, ut, Angurvadile Angantyri relicto, ipse illam utpote Faxio perniciosam gerens pugnam iniret. His omnibus comprobatis dispositisque, socii prima

35) Antiquos, qui totam naturam animantibus refertam crediderunt, lacubus, fluviis, arboribus, montibus, rupibus & saxis tribuisse incolas, qui res naturæ absconditas acrius perspicere possent, eo minus offendat, quo plura hujusmodi superstitionis exempla etiam nostris sæculis offeruntur. Primas qui apud antiquos egerint partes, videntur pygmæi, saxa qui inhabitare credebantur & montes. Hi ad auxilia hominibus ferenda, & consilia danda sollertes, sæpe proni, in iis autem illudendis ingeniosissimi describuntur. Arma fabricandi eos fuisse peritissimos quis nescit? In historia Thorsteini duos offendimus pygmæos, Litum & Sindrium, quorum sua quisque in arte excelluit, ut Dyrum & Dualium (Hist. Hervor.) illumque, qui Svegderum decepisse fertur (Hist. Snorron.), multosque alios reticeamus. Quam de his pygmæis opinionem habeat Vormius (præfat. ad hist. Snorron.), heic adferre lubet. "Skaldi pygmæos illos non "solum aliquando nominarunt, qui statura breves, sed illos quoque "qui viribus aliis inferiores erant, nec militiam colebant; plurima ta"men vafricia sua & strategematibus expediebant, iisque artibus sæ"pe obfuerunt fortissimis, tamque perfecti in ejusmodi, ut nullus "solertiam eorum capere posset. Dicuntur itaque artem excogitasse, "qua, se invisibiles redderent, inhabitasseque magnos lapides & ru"pes: habebant enim domos optime munitas" &c. Cfr. Reenhielm pag. 120.

luce ad classem Otulfaxii accedentes, lapides tanta vi conjecerunt, ut priusquam e somno excitati erant milites ejus, plus centum necati, e vita decessissent. Ceteris vero e somno suscitatis, vehementissimum exortum est prœlium, in quo militum socios comitantium magna facta est strages, naviumque decem vespere devictæ. Prœlio sequente mane redintegrato idem ac prioris diei impositus est finis, quo factum est, ut omnes sociorum naves, una Uffiana excepta, sub vesperam vacuefactæ essent. Ex utraque autem ora salutare suppeditabant auxilium Brenner & Sindrius, qui quidem in milites Faxii tela emiserant creberrima, unde tanta exstitit clades, ut omnes ipsius, quotquot demum erant, naves, Ellida sola integra, quam adscendendi nulla patere videbatur via, deperderentur. Per totam noctem, quæ lucida esset, pugnatum est, sociique, quibus Ellidæ conscendendæ tandem data est potestas, magnam fecere stragem; manus vero cum Otulfaxio, nullo vulnere saucio, quippe qui gladio lædi non posset, conserentes ipsi, Thorsteino salvo, vulnerati sunt. In hoc ipso discrimine Otulfaxius, cujus genæ clavam graviter admoverat Thorsteinus, de navi prosiliens, oram natando consecutus est propinquam, vestigia ejus statim premente Thorsteino. Reliqui vero socii, in navi remanentes, qui ibi supererant, omnes omnino trucidarunt, quo facto, ad locum, ubi constitit Faxius, remigabant, qui quidem natanti Thorsteino lapides ingessit, quos hic tamen aquam subeundo evitavit. Belius, qui clavam e navi secum duxerat, cervices adversarii eadem bis percussit, Angantyre lapides jactante. Tum demum Otulfaxius se in undas præcipitavit, quarum in alto 34) eum inter & Thorsteinum vehementissima

---

36) Septentrionales artis natandi urinandique fuisse callidissimos, veterum historia, ejusmodi exemplis referta, docet. Exemplum vero maxime mirandum ex Joviani Pontani relatione adfert Reenhielmus l. c. p. 128 "Gatanæ homo fuisse dicitur, cui nomen Colan inditum ferunt, cognomento piscis, singulari fato sive fortuna genitus, qui plus in aquis degere quam in terris victitare solebat, eumque diebus singulis mare & aquas petere necessum habuisse: ibique naturæ vi coactum degere consuesse: alioqui dicebat fore, ut, si ab aquis

orta est colluctatio, quæ non sine admirabili, ut credebatur, Sindrii auxilio cum morte Faxii finita est. Scilicet cultello, quem a Sindrio acceperat, in pectus defixo, intestina usque perfodit. In agone mortis Thorsteinum collaudans, ipse confitetur Otulfaxius, se, jam nonaginta annos natum, (secundum Torfæum CXXX) nonaginta reportasse victorias victoremque e pugnis singularibus octogies rediisse. Thorsteino, utpote qui durissimas in hoc prœlio sustinuisset partes, ex præda, quæ sane ditissima fuit, navis illa Ellida, numquam satis laudanda, obvenit. Qua reportata victoria, quæ, quamdiu virtus magni existimatur, memoria hominum servabitur, tredecim navibus instructi, ceteris Brenneri datis, socii domum hibernaturi revertuntur.

Tempore, quod proxime secutum est, verno arma sua occidentem versus ferunt, in oriente enim, ait Angantyr, omnes ad unum emortui erant piratæ. Orcades, quibus tunc temporis imperitavit dux Herraudus, devastant. Ille quidem, manu militum collecta, sociis ad insulam Papeyensem obviam ivit, ibique atrox efflagravit pugna, quæ licet per bidui spatium pugnaretur, quo tandem inclinatura esset victoria, suspicari non licuit. Tertia vero ingruente luce, Herraudus ipse cunctæque ejus copiæ cecidere. His peractis, ad insulas ceteras proficiscentes, omnes omnino sub suam redegerunt potestatem. Conditionem, quam Thorsteino Belius tulit, ut his insulis titulo potestateque ducis præficeretur, ille repudiavit, sola satrapæ dignitate, qua ornatus est, satis contentus, si modo convictu amici fidelissimi frui liceret. Hinc Angantyr insulis his ea lege præfectus est, ut tributum annuum Belio faceret. His igitur peractis ad Sogniam Belius & Thorsteinus revertuntur, nec erant sane, quorum jam illustrior emineret splendidiorque gloria. Belio tres erant liberi, Helgius nimirum Halfdanusque & filia, natu minima, Ingeborg. Thorsteinus duobus tantum gavisus est liberis, filio, cui nomen erat Frithiofus & Vefreya filia, quæ natu erat major.

---

abesset diu, quasi respirare & ducere vitam nequiret, idque sui exitii mox causam fore asseverat" &c.

§. IX.

De captivitate Thorsteini & reconciliatione cum Jokule.

Niorfius & Vikingus, quos inter perpetua fuerat amicitia, jam e vita decesserant. Jokul, qui in imperio Uplandarum 37) patri successerat, magnam pirata licet haud invidendam sibi acquisierat celebritatem. Neque diu domi quiescunt Belius & Thorsteinus, priusquam mare latrociniis infestant. Cursum per fretum Oresundicum meridiem versus dirigentes, Saxoniam 38) depopulantur, unde amplissimam cimeliorum prædam reportant. Quos, domum reversuros ad ostiumque sinus Limici 39) accedentes, vehemens coorta tempestas in altum repulit, quo factum est, ut, navibus dispersis, Thorsteinus ad Borgundarholmiam appelleret. Forte accidit, ut Jokul, classe novem navium vectus, eodem tempore huc adveniret. Hic ira & odio totus fervens, occasionem, ultro oblatam, fraternæ necis vindicandæ, lætissimus arripit, prœliumque init cruentissimum, in quo, omnibus Thorsteini militibus interfectis, hic solus superstes esset. Multitudine obrutus & femore vulneratus, altera Jokulis manu abscissa, (unde hic cognomen unimani accepit), die jam decedente, tandem captus in

37) De ambitu Uplandarum Norvegicarum nihil omnino certi afferri potest; jam enim has jam illas continuit provincias provinciarumve partes. Tractus, qui sinum Opsloensem & Lindesnesiam interjacet, in genere Vikina (Viken) appellatus est. Omnes vero præfecturæ, quæ supra Vikinam & sinum Opsloensem usque ad alpes Dovrianas pertingunt, Uplandæ plerumque appellatæ sunt

38) Saxoniam h. l. esse partem Germaniæ borealem, facile videri licet. Cum vero constet, Saxones Holsatiam partemque proximam ducatus Slesovicensis incoluisse, ex hoc, si vere historicum esset documentum, concludi liceret, sedes Saxonum longe lateque esse extensas Cfr. Phil. Cluverii Germ. antiq. Lib. III, p. 87 sqq.

39 In hist. Haraldi Hardr. Sinus Limicus ita describitur: Sinus L. ejusmodi est, ut ipsum ostium a parvo amni parum differat; cum autem in ipsum sinum perveneris, maris instar dilatatur.